



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Episcopalis

Piasecki, Paweł

Coloniae Agrippinae, 1620

De Visitatione Ecclesiae Græcorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

Ad extremum de bonis & prouentibus Ecclesiæ parochialis videri debet quomodo administrantur, ne desolentur vel alienentur, neque locentur ultra triennium anticipatis solutionibus. *cit. Conc. seß. 25. cap. 11. de ref.* Si etiam exiguos fructus haberet Ecclesia, deberet Visitator seu Episcopus prouidere ut Parocho necessaria non desint, vel per assignationem aliquam decimarum, vel prouentuum Ecclesiæ suæ, dummodo illa quoque nimium non grauetur. *cap. Apostolica de donat. Abb. ib. & in cap. tua nos. de Eccles. edif. Redoan. de reb. Eccl. non alien. quest. 55. num. 58.* vel posset compellere Parochianos ut ipsi necessaria Ecclesiæ suæ subministrant. *Conc. Trid. seß. 21. cap. 4. de ref. Abb. in cap. 1. num. 4. de Eccl. edif.* vel vni-re posset duas Parochiales vbi vna non sufficeret pro sustentatione rectoris,

& populus non esset adeo frequens, quod vnus curæ animarum sufficere nõ possit. *id. Conc. loc. cit. cap. 5.*

Ad extremum posset Episcopus nouam Parochialem Ecclesiam erigere, vbi Parochia esset tam ampla, ut per vnum administrari non possit, vel vbi populo ob locorum distantiam ad vnam Ecclesiam difficilior esset accessus. & hæc Ecclesia de nouo constructa posset dotari ex fructibus Ecclesiæ matricis si ipsa abundet fructibus. *Abb. in cap. tua nos. num. 2. loc. sup. cit. & in cap. conquirente. num. fin. de Cler. non resid. possessoris tamen iure saluo. cap. ad audientiam. loc. cit. de Eccl. edif.* vel si desint facultates in Ecclesia matrice, posset compelli Parochiani ad contribuendum pro fundatione nouæ Ecclesiæ. *Conc. loc. cit. num. 4.*

ARTICVLVS IV.

De Visitatione Ecclesiarum Græcorum.

1. *Græcorum Ecclesia vnita subiecta sunt visitationi Episcopi Latini.*
2. *Græci vniti quæ teneantur obseruare.*

Gracorum Ecclesiæ quæ ad vnitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ redierunt, subdantur Episcopo Latino, in cuius Diocesi existunt. *c. quod translationem. de temp. ord. & recenter emanauit super hoc Constitutio Pij Papæ Quartii. vt sequitur.*

Pius Papa IV. Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex precipuus aequitatis & religionis assertor, facultates & gratias ab Apostolica Sede con-

cessas, ex quibus tempore precedente animarum pericula & inter Catholicos scandala prouenire animaduertit, pro sui Pastoralis officij debito maturè reuocare consuevit. Sanè nonnulli locorum ordinarij nuper ad audientiam nostram referri curarunt, quod in quam pluribus Regni Sicilia, citra & ultra Pharam, & alijs Christiani nominis ciuitatibus & locis, magna Græcorum tam religiosorum & secularium Clericorum, quam Laicorum multitudo reperiat, qui Ecclesiæ Græcæ mores & ritus obser-

uantes, seq̄ suos proprios eiusdem nationis Prælatos habere, ac illi non autem locorum ordinarijs subesse, sed immunitatum aliorumq̄, priuilegiarum, sibi per se. re. Leonem X. Paulum III. Iulium etiam III. & fors in alios Rom. Pont. prædecessores nostros, & dictam sedem antiquitus concessorum prætextu, se ab eorundem ordinariarum iurisdictione & superioritate exemptos esse pretendentes, impunitate sibi proposita in diuersas hæreses nefariasq̄, opiniones & absurda deliramenta passim prolabantur, asserentes inter alias eorum blasphemias, nullū esse defunctorum Purgatorium, Rom. Pont. aliquam in eos iurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, Ecclesiasticas sententias & censuras ab eolatas spernentes, Sanctissimæ Dei genitricis Virg. Maria, Beatorum Apostolorū & aliorum Dei Sanctōrū festiuitates ab Ecclesia Romana, Sanctiq̄ Patribus ordinatas non obseruantes, Sanctissimum Eucharistia Sacramentum suis infantibus in Baptismo exhibentes, inhumata defunctorū cadauera superstitione quadā impia, & plusquā barbarica è sepulchris eruentes, igneq̄, comburentes, Ordinariorum locorum quos habitant visitationem iurisdictionemq̄, contemnentes, & Ecclesiarum disciplinam perturbantes, ac demum huiusmodi alijsq̄, suis opinionibus erroneis atq̄, sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionē legitimam suæ prætesa exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus abusibusq̄, conuenescunt, & immoriuntur, & in suarum vicinorumq̄, populorum, præsertim simplicium animarum perniciem, & scādā-

lum plurimorum. Nos igitur prouide considerantes eiusdem sedis intentionem nunquam fuisse, exemptionem aliudnè priuilegium à se concessum iri, ut inde scelerum impunitas, & animarum periculum emergat; abusibus & periculis huiusmodi, quantum cum Deo possumus, tēpestiuè obuiare volentes, ac quatuorq̄ exemptionum, aliorumq̄, priuilegiarum dictis Græcis eorumq̄, Prælati, Rectoribus, Abbatibus, & alijs tam S. Basilij & alterius ordinis Regularibus, quam Secularibus, ac etiam Laicis personis, quocunq̄, nomine nuncupatis, per præfatos & alios quoscunq̄, Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos & sedem præfatam in genere vel in specie hætenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum & innouatorum, litterarumq̄, desuper confectarum, & inde sequentium tenores præsentibus pro sufficienter expressu habentes. Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolica potestatis plenitudine omnes & singulas exemptiones, ac prout illas concernunt desuper confectas literas præfatas, ad hoc videlicet, ut ipsi locorum ordinarij quascunq̄, Græcorum Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia præ loca, tam Secularia quam cuiusuis ordinis regularia, earumq̄, Prælatos, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, Ministros, & quasuis alias eiusdem nationis personas in suis ciuitatibus & Diocesisibus consistencia, quoties opus fuerit visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamq̄, & omnimodam superioritatem in ijs quæ Dei cultū, Sacramentorum administrationem, & ani-

marum salutem, hæresumq; extirpationem concernunt, exercere & exequi liberè & licitè valeant; reliquis ipsorum Græcorum in Diuinis celebrandis, alijsq; ritibus à sede Apostolica approbatis, nec non priuilegijs & gratijs Apostolicis intactu remanentibus: auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo reuocamus, cassamus & annullamus, ac reuocatas, cassatas & annullatas esse, nec ipsis Græcis Clericis, vel Laicis, eorumq; Prælatu, Ecclesijs, Cænobijs, aut alijs pijs locis in aliquo suffragari, sed illos oēs & singulos locorum, in quibus morã traxerint ordinariorũ visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni & omnimode superioritati in præmissis subesse, illisq; tanquam superioribus suis, suarumq; animarum Pastoribus humiliter obedire; Et sic per quoscunq; Iudices & Commissarios quauis auctoritate fungentes etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quauis aliter iudicandi facultate, iudicari & desiniri debere, ac quicquid secus à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisq; contrarijs quibuscunq;. Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Græci ab eorum Græcanico ritu abstrahantur, vel alias desuper quocumq; modo per locorum ordinarios, aut alios impediuntur. Et quia difficile foret presentes ad diuersa loca, in quibus illarum exhibitio forsitan erit necessaria circumferri, volumus & eadem auctoritate similiter decernimus, quod earundem presentium transumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & per-

sona in dignitate Ecclesiastica constituta sigillo signatis, plenaria & indubia, eaq; prorsus adhibeatur fides in iudicio, & extra, quæ presentibus adhiberi deberet, si forent exhibitæ vel ostensa. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscator. die 16. Feb. 1564. Pont. anno 5.

Quæ autem Episcopo visitanti, in huiusmodi Ecclesiæ Græcorum, saluis eorum quoad reliqua ritibus aduertenda sint & corrigenda, facile ex subinsertis Constitutionibus, Romæ ex mandato Clem. Papæ VIII. impressis, patebit, ut sequuntur.

Per breuis instructio super aliquibus ritibus Græcorum, ad Reuerendiss. Patres DD. Episcopos Latinos, in quorum ciuitatibus, vel Diocæsibus Græci, vel Albanenses Græco ritu viuentes degunt, ac litera quadam apostolica ad ipsos Græcos, vel eorum ritus pertinentes, nec non forma professionis fidei orthodoxæ à Græcis ad vnitatem S. R. E. venientibus faciendæ, mandato Sanctissimi D. N. D. Clem. Papæ VIII. simul excussa Romæ apud impressores Camerales. Anno Domini 1597.

Circa Sacramentum Baptismi.

Presbyteri Græci, baptizatos Chrismate in fronte non consignent, & ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum euchologiũ prætermittatur, quæ sequuntur post illa verba. *χρὴσμάτιον ἐν τῷ ὄντι* &c. vsq; ibi. *Ἐστὶν πρὸς τὸ ἱερὸς ὄχιον χρῆμα* hoc est, & post orationẽ, &c. vbi habetur forma huius consignationis vsq; ad verba, Postea facit Sacerdos figuram circuli, &c.

Circa

Circa Sacramentū Confirmationis.

Episcopi Latini infantes seu alios Baptizatos, à Presbyteris Gracis defacto Chrismate in fronte consignatos confirmant, & tutius videtur, vt cum cautela & sub conditione id faciant, videlicet (nisi es confirmatus, ego te confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti) præsertim verò cum verissimiliter dubitari potest, quod ab Episcopis Gracis fuerint Baptizati.

Circa Sacramentum Eucharistiæ.

Sanctissimum Eucharistia Sacramentum, quod pro infirmis asseruatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renouetur.

Non asseruetur idem Sacramentum toto anno, si tamen asseruatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi Sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Sacramenti Sacra Eucharistia feria quinta Cæna Domini, vt deinde illud asseruent.

Si Graci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit, sin minus, tolerentur eorum throni seu throni super altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Corporalia vti Latini habeant, nisi throni etiam pro corporalibus vtantur.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ.

In casu necessitatis Presbyteri Graci Catholici, possunt Latinos absoluerè. Vtantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam de-

precatiuam, quam pro forma huius absolutionis dicere tantum consueuerunt.

Tollendus abusus vbi est, vt vir atque vxor simul & eodem tempore eidem Presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Graco in die Epiphania, vel primo die mensis benedicta, cõseruetur in Ecclesia, vt illa fideles aspergatur.

Circa Oleum Sanctum Cathecumenorum & Infirmorum.

Non sunt cogendi Presbyteri Graci Olea Sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum huiusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, sed benedicantur. Chrisma autem quod non nisi ab Episcopo etiã iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Episcopis Gracis externis Scismaticis, seu San. Roma Eccle. communionem non habentibus, illud accipere, vel eo vti.

Circa Sacramentum Ordinis.

Ordinati ab Episcopis Schismaticis, alias ritè ordinati seruata debita forma, recipiunt quidè ordinè, sed no executionè.

Proinde ordinati ab Epif. Schismaticis, correcti vel emendati reconciliadi sunt, & absoluendi cum pœnitentijs salutaribus. dūmodo errores, vel saltem Schisma ordinatoris abiurent in Iudicio, vel publicè vel secretò pro qualitate facti. In ordinibus autè per eos alias ritè susceptis, ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate huiusmodi occasione contracta, auctoritate Sanctæ sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi Epif. Schismatici, siue pro ordinibus, siue pro alijs Sacramentis conferendis, sed detinendi quoad

Sancta Sedes Apostolica de super consula-
tur, & responsum habeatur.

Graci sine litteris dimissorij Episcopi
Latini Dioecesanum ad sacros ordines pro-
moti suspensi sunt, & si suspensi in suis or-
dinibus ministraverint efficiuntur ir-
regulares sicut & Latini.

Super huiusmodi autem & similibus
irregularibus dispensandi facultatem à
Sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si Episcopus Latinus Gracum aliquem or-
dinare voluerit, qui à Presbytero Graco
in Baptismo Chrismate in fronte de facto
fuerit consignatus, debet illum antea
confirmare saltem sub conditione, vide-
licet: Nisi es confirmatus &c. vt supra.

Presbyteri vidui seu vxoribus orbat, habitum deferant diuersum ab alijs.

Circa Sacramentum Matri- monij.

Curent Ordinarij locorum, vt Decre-
tum Sacri generalis Concilij Trid. de re-
formatione matrimonij, vertatur in lin-
guam Gracam vulgarem, & in locis &
Parochijs Gracorum Albanensium euul-
getur & publicetur.

Matrimonia inter coniuges Gracos
dirimi seu diortia quoad vinculum fie-
ri nullo modo permittantur aut patiantur,
& si qua de facto processerunt, nulla &
irrita declarent.

Maritus Latinus vxoris Graca ritum
non sequatur.

Latina vxor non sequatur ritum ma-
riti Graci.

Graca verò vxor sequatur ritum ma-
riti Latini.

Quod si id fieri non possit quisq; coniu-
gum in suo ritu, Catholico tamen mane-

re permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi
præualuerit mater Latina.

Presbyter Gracus coniugatus ante Sac-
rificium seu sanctam missam celebra-
dam, vel per hebdomadam vel per tri-
duum abstinere ab vxore.

Circa alia Dogmata.

Graci credere tenentur à Filio Spiri-
tum Sanctum procedere, sed non tenentur
pronunciare nisi subesset scandalum, præ-
sertim si degant inter Latinos, aut neces-
sitas postularet consistendi fidem Catholi-
cã, quia tunc oporteret etiã pronunciare.

Nunquam Monachis Gracis seu Ca-
logeris animarum cura committatur, nisi
ex necessitate vel alia iusta causa.

Presbyteri Seculares Graci abiuratis
Schismate & erroribus, atq; in fide Ca-
tholica benè instructi, in Parochialibus
seu Curatis Ecclesijs Gracorum institui
possunt.

Tolerandus est apud Gracos vsus car-
nium die Sabbathi, vbi sine scandalo fieri
potest, in locis tamen ipsorum, & inter
eos tantum.

Item tolerandum est vt ad ieiunium e-
dem die Sabbathi in Quadragesima, ex-
cepto vno Sabbatho Sancto, ex antiqua
traditione non teneantur, sed duntaxat
ad abstinentiam.

In ieiunijs biduanis vel triduanis vel
alias à Dioecesanis, vel in iudicij à sum-
mo Rom. Pont. indictis, dies Sabbathi in
eis comprehensus vel prescriptus in ali-
um diem pro plebibus Gracis ab ipsis Dioe-
cesanis Apostolica auctoritate Sanctissi-
mi D. N. Clementis diuina prouidentia
Papa VIII. permittitur commutari.

Si

Si ipsi Græci ad obseruationem ieiuniorum & vigiliarum Latina Ecclesia induci possent, optimum esset, sed non cogatur, cum ipsi qualibet hebdomada & feria quarta & sexta ieiunent.

Græci existentes inter Latinos, dies festos de precepto eiusdem Latina Ecclesia seruare teneantur.

Insuper idem Sanctissimus D. N. constituit Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italia, & Insularum adiacentium subiectos ab Episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissorys ad id tantum concedendis ritu Græco ordinet.

Itē mandauit vt ad maiore instructiōne Dominorum Episcoporum Latinorum imprimantur cū hac ipsa Decretales seu littera quadā Apostolica ad Græcorum ritus pertinentes, ac etiā professio orthodoxæ fidei à Græcis, qui ad unitatem S. Rom. Ecclesia veniunt faciendā.

Ita Sanctitas sua ex sententia Congr. super reformatione Græcorum decreuit & declarauit, ac fieri mandauit. Romæ in Palatio montis Quirinalis apud S. Marcum die 31. mensis Augusti. Anno Domini 1595. Pontif. sui anno 4.

Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.

Innocentij Papæ IV. Bulla, seu litteræ ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum in Regno Cypri, quæ extant in eius Regeſto Bullarum Pontificatus sui anno 2. apud Bibliothecam Vaticanam super ritibus Græcorum, qui tolerari vel non tolerari possunt.

Innocentius IV. &c. Episcopo
Tusculano Apostol. Sedis
Legato.

Sub Catholica professione fidei atq; cultu consistere ac proficere vniuersos, ceteris nostræ mētis desiderabilibus presentibus, illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operatiuum salutis præcipuum, intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc inquam vnio siue connexio cordi nostro inestimabilis gaudij rorē infunderet, si varias gentium nationes eiusdem obseruantia fidei in vnum acceptabilem in Christo populū adunaret. Id vtiq; anxie mentis, nostræ ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes quos olim in vnum Catholicum gregem ouile collegit Domini, cum multis ab eo discesserint in idem indiuiduum Collegium vnus Pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si Orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad Catholicam reduceret unitatem, vt cum reliquis orthodoxis in vnus aula collecti gremio de matris Ecclesia vberè fluentia doctrina salutaris haurirent, tunc ipsi Ecclesia proueniret magnū & desiderabile salutare; tunc eius vicius sobole geminata concreſceret, tunc Orientalibus oriretur superna illuminationis aurora, tunc eis claresceret Lucifer veritatis, tunc per vniuersam Ecclesiā inundantis gaudij erumperet plenitudo, tunc exaltatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonū & iucundū existeret fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem Ecclesia multiplicata lætitiæ nouæ incūditatis canticū personaret. Verū quia nonnulli Græcorū iam dudū ad deuotionē Sedis Apost. redeuntes, ei reuerenter obediunt & intendunt, licet expedit vt mores ac ritus eorū quantum cum Deo possumus tolerantes,

rantes, ipsos in Ecclesia Romana obedientia præsuerimus: quanquā in his qua animarū periculum parerent, vel honestati Ecclesiastica derogarent, nec debemus illis deserre aliquatenus, nec velimus. Sanè inter Vener. Fratrem nostrū Archiepiscopum Nicosen. & eius Suffraganeos Latinos ex parte vna, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis discordiam & turbationem, fortè subortam, & eorundem tenorem articulorū, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis vt melius possemus instrui super eis plene ac provide per tuas litteras intimasti, sollicitè requirendo vt providere super hoc Apostolica dignitate curarem. Nos autè literis ipsis affectuosè receptis, earū seriem & ipsos articulos ac responsiones easdem, & cetera qua continebantur in illis vna cū Fratribus nostris perlegimus, intelleximus diligenter, prudentiam tuā multipliciter in Domino commendantes & meditantes ac deliberantes super his prout rei qualitas exigebat.

1. Circa hac itaq; sic deliberatio nostra refedit, vt Græci eiusdē Regni in vñtionibus qua circa Baptisma fiunt, morem Ecclesie Romana teneant, & obseruent.
2. Ritus verò seu cōsuetudo quā habere dicuntur vngendi per totū Baptizandorū corpora si tolli sine scandalo vel remoueri non potest, cū siue fiat siue non, quantiū ad Baptismi efficaciam vel effectū non multū referat, toleretur. Nec refert etiā vtrum in frigida vel calida aqua baptizent, cū parem vim & effectum in vtraq; baptismum habere asseuerare dicatur. Soli autè Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius vñtio non de-

bet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli quorū vices gerunt Episcopi per manus impositionē, quā confirmatio vel frontis Chrismatio representat; Spiritum Sanctum tribuisse leguntur.

Singuli quoq; Episcopi in suis Ecclesiis in die Cæna Domini possunt secundum formam Ecclesie, Chrisma conferre ex balsamo quidē & oleo oliuarum. Nam Spiritus Sancti donū in Chrismatis vñtione confertur, & colūba vtiq; qua ipsum designat Spiritum, oliuā ramū ad arcam legitur reulisse. Sed si suum antiquū ritum in hoc Græci potius seruare voluerint, videlicet quod Patriarcha vna cum Archiepiscopis & Episcopis eius Suffraganeis, & Archiepiscopi cū suffraganeis suis simul Chrisma conficiant, in tali eorū consuetudine tolerentur. Nullis autè per Sacerdotes vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ vñtio aliqua solummodo iniungatur. Infirmis verò iuxta verbū Iacobi Apostoli vñtio exhibeatur extrema. Porro in appositione aqua siue frigida, siue calida, vel tepida, in altaris Sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci sequantur, dummodo credant & asserant quod seruata Canonis forma consueiatur pariter de vtraq;. Sed Eucharistiā in die Cæna Domini cōsecratā vsq; ad annum prætextu infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non reseruent: liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere ac per quindecim dies & non longiori temporis spatio conseruare, ne per diutinam ipsius reseruationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum, licet veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquam diu-

tur-

10. turnitate seu volubilitate, temporu eua-
nescat. In celebratione vero solemniū,
& aliarum missarum, & de hora cele-
brandi eas, dummodo in confectioe vel
consecratione formā verborū à Domino
expressam & traditā obseruent, & cele-
brando non transgrediantur horam no-
nam, suam sequi consuetudinem permit-
tantur, Sacerdotes autem dicant horas
11. Canonicas more suo, sed Missam celebra-
re priusquam officium matutinale com-
pleuerint non præsumāt. Promouendi ve-
12. rò ad Sacerdotiū & presbyteri qui præ-
ficiendi fuerint Ecclesiarum regimini,
examinentur antea diligenter, si præci-
piè de horis Canonicis, & Missarū officijs,
secundū distinctionē temporū exequēdis
sint sufficēter instructi, vt ad hæc nisi di-
gni & idonei admittantur. Caterū vnus-
13. quisque Sacerdos, in aureo, vel argenteo
solum, aut saltem stanneo calice sacrifi-
cet, habens corporale de lino candidū &
14. nitidum, & altare mundis vestimentis
opertum, vel decentibus paramētis. Mu-
lieres autē seruire ad altare non aude-
ant, sed ab illius ministerio repellantur
15. omnino. De ieiunio verò diei Sabbati
Quadragesimali tempore, quanquā ho-
nestius, & salubrius Græci agerēt, si sic to-
tò illo tēpore abstinerent, vt nec vnico die
institutum ieiunium violarent, teneant,
16. & seruent pro libitu morē suum. Sacer-
dotes quoq; coniugati, & alij quibus pa-
rochiarū cura, vel Ecclesiarū parochialiū
regimen per Episcopos suos committitur,
licitè ac liberè possint parochianorū suo-
rum confessiones audire ipsiq; pœnitenti-
17. ā iniungere pro peccatis: quia cui licet
vel conceditur, quod est maius, cōpetit ni-
mirū, nec negari cōuenit quod est minus:

liberū tamen sit ipsi Episcopis, viros ali-
os idoneos Coadiutores & cooperatores
habere in audiēdis cōfessionibus, & pœni-
tērys iniungēdis, ac ceteris qua ad salutē
pertinent animarū, ipsiq; in his per eorū
Dioceses absq; sacerdotum ipsorum præ-
iudicio, & grauamine, committere vices
suas, cum propter occupationes multipli-
ces, & occasiones varias possit contingere,
& occasiones varias possit contingere,
quod nequeant per easdem Dioceses
officium suū exequi per se ipsos. De for-
18. nicatione autē quam solutus cum soluta
committit, quin si mortale peccatū, non
est aliquatenus ambigendum, cum tam
fornicarios quam adulteros à Regno
Dei Apostolus asserat alienos.

Ahæc volumus & expressè præcipi-
19. mus, quod Episcopi Græci septem ordines
secundum morem Ecclesie Romana de
cetero conferant, cum hucusque tres de
minoribus circa ordinandos neglexisse
vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui
iam sunt taliter ordinati per eos, prop-
ter nimiam ipsorum multitudinem in sic
susceptis ordinibus tolerantur.

Quia vero secundum Apostolum mu-
20. lier mortuo viro ab ipsius est lege soluta,
vt nubendi cui vult in Domino liberam
habeat facultatem, & secundas, tertias,
ac vltiores etiam nuptias Græci non
reprehendant aliquatenus, nec condem-
nent, sed potius illas approbent inter per-
sonas, quæ alias licitè ad inuicem matri-
21. monio iungi possunt. Secundo tamen nu-
bentes presbyteros nullatenus benedicāt.

Et quoniā apud eos consuenerunt cō-
22. trahi matrimonia inter personas contin-
gentes se, iuxta eorum computatio-
nem, octauo gradu, qui secundū compu-
tationem, & distinctionē graduum quam
23. nos

nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus, districtè precipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in predicto quarto cōsanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant statutum hoc generalis Concilij observantes. Illos tamen qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispersatiuè permittimus in sic cōtracto matrimonio remanere. Deniq; cū veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sāctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi quasdam culpas in praesenti, quasdam vero in futuro posse seculo relaxari. & Apostolus dicat, quod vniuscuiusq; opus quale sit ignis probabit, & cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignē, & ipsi Graeci verè & indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum qui suscepta poenitentia ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragijs Ecclesiae adiuvari. Nos quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones & auctoritates Sanctorum Patrū purgatorium nominantes, volumus quod de cetero apud ipsos isto nomine appellatur; illo enim transitorio igne peccata utiq; non tamen criminalia, seu capitalia qua prius per poenitentiam non fuere remissa, sed parua & minuta purgantur, qua post mortem etiam grauant, si in vita non fuerint relaxata. Si quis autem

absque poenitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio aeterna gehenna ardoribus perpetuo cruciatur. Anima verò paruulorum post Baptismi lauacrū, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transuolant sempiternam.

Ordinationes demum & instituta Regularia Sanctorum Patrum de vita & statu Monachorum, precipimus ab abbatibus & Monachis Graecis inuolubiter obseruari. Fraternitatem itaq; tuā hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus praemissa omnia Episcopis Graecis praefati regni seriatim & diligenter exponi facias, districtè ipsis iniungens, ut ea sollicitè attendere, studiosè tenere, ac efficaciter procurent, & à suis faciant subditis obseruari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicosien. & eius Suffraganeis Latinis, firmiter auctoritate nostra precipiat, ut eosdē Graecos super praemissis cōtra huiusmodi prouisionem & deliberationem nostram nō inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores eadem auctoritate, appellatione postposita comescendo. Non obstantibus si praedictis Archiepiscopo & Suffraganeis, & quibuscunq; alijs à sede Apost. sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas plenam & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem. Dat.

Lateran. 2. Non.

Max. an. II.

(:)